

8. Fecit & rationale opere polymito iuxta opus superhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta:

9. quadrangulum, duplex, mensuræ palmi.

10. Et posuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo versu erat sardius, topazius, smaragdus.

11. In secundo, carbunculus, sapphirus, & iaspis.

12. In tertio, ligurius, achates, & amethystus.

13. In quarto, chrysolithus, onychinus, & beryllus, circumdati & inclusi auro per ordines suos.

14. Ipsique lapides duodecim, sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israël, singuli per nomina singulorum.

15. Fecerunt in rationali & catenulas sibi invicem coherentes, de auro purissimo:

16. & duos uncinos, totidemque annulos aureos. Porro annulos posuerunt in utroque latere rationalis,

17. e quibus penderent duæ carenæ aureæ, quas inseruerunt uncinis, qui in superhumeralis angulis eminebant.

18. Hæc & antè & retrò ita conveniebant sibi, ut superhumeralè & rationale mutuo nectenterentur,

19. stricta ad balteum & annulis fortius copulata, quos iungebat vitæ hyacinthina, ne laxa fluerent, & a se invicem moverentur, sicut præcepit Dominus Moysi.

20. Fecerunt quoque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam,

21. & capitum in superiori parte contra medium, oramque per gyrum capitij textilem:

22. deorsum autem ad pedes mala punicæ ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta:

23. & tintinnabula de auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata in extrema parte tunice per gyrum:

24. tintinnabulum autem aureum, & malum punicum, quibus ornatus incedebat pontifex quando ministerio fungebatur, sicut præcepit Dominus Moysi.

25. Fecerunt & tunicas byssinas opere textili Aaron & filiis eius:

26. & mitras cum coronulis suis ex bysso:

27. feminalia quoque linea, byssina:

28. cingulum verò de bysso retorta,

hyacintho, purpura, ac vermiculo bis tincto arte plumaria, sicut præcepit Dominus Moysi.

29. Fecerunt & laminam sacræ venerationis de auro purissimo, scripseruntque in ea opere gemmario, Sanctum Dominus

30. & strinxerunt eam cum mitra vitæ hyacinthina, sicut præcepit Dominus Moysi.

31. Perfectum est igitur omne opus tabernaculi & tecti testimonij: feceruntque filij Israël cuncta quæ præcepit Dominus Moysi.

32. Et obtulerunt tabernaculum, & tectum & universam supellectilem; annulos, tabulas, vectes, columnas ac bases,

33. operitorium de pellibus arietum rubricatis, & aliud operimentum de ianthinis pellibus,

34. velum: arcam, vectes, propitiatorium,

35. mensam cum vasis suis & propositionis panibus:

36. candelabrum, lucernas, & utensilia earum cum oleo:

37. altare aureum, & unguentum, & thymiana ex aromatibus:

38. & tentorium in introitu tabernaculi:

39. altare æneum, retiaculum, vectes, & vasa eius omnia: labrum cum basi sua: tentoria atrij, & columnas cum basi sua:

40. tentorium in introitu atrij, funiculosque illius & paxillos. Nihil ex vasis defuit, quæ in ministerium tabernaculi, & in tectum foederis iussa sunt fieri.

41. Vestes quoque, quibus sacerdotes utuntur in Sanctuario, Aaron scilicet & filij eius,

42. obtulerunt filij Israël, sicut præcepit Dominus.

43. Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis.

CAPUT XL.

Primo mense tabernaculum erigendum & consecrandum præcipitur: quo factò, maiestate Dei repletur, nube tabernaculum continuo operiente, nisi dum esset proficiscendum.

1. **L**ocutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Mense primo, primâ die mensis, eriges tabernaculum testimonij,

3. &

3. & pones in eo arcam, dimittesque ante illam velum:

4. & illatâ mensâ, pones super eam quærite præcepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis,

5. & altare aureum in quo adoletur incensum, coram arca testimonij. Tentorium in introitu tabernaculi pones,

6. & ante illud altare holocausti:

7. labrum inter altare & tabernaculum, quod implebis aquâ.

8. Circumdabisque atrium tentorii, & ingressum eius.

9. Et assumpto unctiois oleo unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur:

10. altare holocausti & omnia vasa eius:

11. labrum cum basi sua: omnia unctiois oleo consecrabis, ut sint Sancta sanctorum.

12. Applicabisque Aaron & filios eius ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aquâ

13. *indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, & unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.

14. Fecitque Moyses omnia quæ præcepit Dominus.

15. Igitur mense primo anni secundi, primâ die mensis, collocatum est tabernaculum.

16. *Erexitque Moyses illud, & posuit tabulas ac bases & vectes, statuitque columnas,

17. & expandit tectum super tabernaculum, imposito desuper operimento, sicut Dominus imperaverat.

18. Posuit & testimonium in arca, subditis infra vectibus, & oraculum desuper.

19. Cùmque intulisset arcam in tabernaculum, appendit ante eam velum ut expleret Domini iussionem.

20. Posuit & mensam in tabernaculo testimonij ad plagam Septentrionalem extra velum,

21. ordinatis coram propositionis panibus, sicut præcepit Dominus Moysi.

22. Posuit & candelabrum in tabernaculo testimonij e regione mensæ in parte australi,

23. locatis per ordinem lucernis, iuxta præceptum Domini.

24. Posuit & altare aureum sub tectò testimonij contra velum,

25. & adolevit super eo incensum aromatatum, sicut iusserat Dominus Moysi.

26. Posuit & tentorium in introitu tabernaculi testimonij,

27. & altare holocausti in vestibulo testimonij, offerens in eo holocaustum, & sacrificia, ut Dominus imperaverat.

28. Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonij & altare, implevis illud aquâ.

29. Laveruntque Moyses & Aaron, ac filij eius manus suas & pedes,

30. cum ingrederentur tectum foederis, & accederent ad altare, sicut præcepit Dominus Moysi.

31. Erexit & atrium per gyrum tabernaculi & altaris, ducto in introitu eius tentorio. Postquam omnia perfecta sunt,

32. *operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini implevit illud.

33. Nec poterat Moyses ingredi tectum foederis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat.

34. Si quando nubes tabernaculum deserebat, proficisciebantur filij Israël per turmas suas:

35. si penderat desuper, manebant in eodem loco.

36. Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israël per cunctas madsiones suas.

*Supr. 29.
35.
Lev. 8. 2.

*Nempe
ab exitu ut
sit mensis
7. eiusdem
an. M.
2514. Ant.
Chr. 1490.
*Num. 7. 1.

*Num. 9.
15.
3. Reg. 8.
10.

LIBER LEVITICUS,

HEBRAICÆ VAICRA.

Tertius Moysi liber à Græcis LEVITICUS dicitur, quod in eo fuisse tractetur id genus legum, quod ad cæremonias & officium Levitarum pertinet: ut sunt holocausta, & reliqua sacrificiorum atque oblationum genera; ignis perpetuus; discrimen animalium mundorum & immundorum; iudicium festorum dierum; promulgatio anni lubilei: & alia quamplurima notatu digna, quæ in populo Dei dicta, factaque sunt intra unum mensem & dimidium. Nam anno 2. ab exitu, mensis 1. die 1. ac deinceps, Tabernaculo iam erecto Deus leges illas per intervalla Mosi tradidit, quæ septem primis capitibus continentur. Mensis 2. initio, per septem Dies, Aaronis & 4. filiorum eius, nec non altaris consecratio peragitur; Levit. 8. cum Exod. 29. 37. Die verò octavo eiusdem Mensis, Aaron primum offert sacrificium; Levit. 9. Deinde Nadab & Abiu Aaronis primogeniti sanctuarium cum igne alieno ingressuri pereunt. Levit. 10. Ea occasione, lex lata (circa decimum ut videtur mensis diem) de ingressu solius summi sacerdotis semel in anno in sanctuarium. Levit. 16. Et alia leges denique, quæ 17. postremis huius libri capitibus sunt promulgatae.

Ab Hebræis vocatur hic liber TORAT HACCOHANIM, id est Lex Sacerdotum: Vel VAICRA, & vocavit, à primo libri vocabulo, ut de aliis iam dictum est.

CAPUT PRIMUM.

Varius ritus ac modus armentorum, pecudum, & avium offerendorum in holocaustum.

Eiusdem ann. 2. ab exitu, mensis 1. qui sit septimus ann. M. 2514. à creatione. Ant. Chr. ann. 1490.

* Exod. 29. 10.

Vocavit autem Moyses, & locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonij, dicens:

2. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus & ovibus offerens victimas,

3. * si holocaustum fuerit eius oblatio, ac de armento; masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij, ad placandum sibi Dominum:

4. ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens.

5. Immolavitque vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi:

6. detractaque pelle hostiæ, artus in frustra concident,

7. & subjicient in altari ignem, strue lignorum antè composita:

8. & membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adherent iecori,

9. intestinis & pedibus lotis aqua: adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum & suavem odorem Domino.

10. Quod si de pecoribus oblatio est,

de ovibus sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret:

11. immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad Aquilonem, coram Domino: sanguinem verò illius fundent super altare filij Aaron per circuitum:

12. dividuntque membra, caput, & omnia quæ adherent iecori: & ponent super ligna, quibus subjiciendus est ignis:

13. intestina verò & pedes lavabunt aqua. Et oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum & odorem suavissimum Domino.

14. Si autem de avibus, holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ,

15. offeret eam sacerdos ad altare: & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris:

16. vesiculam verò gutturis, & plumas projiciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent,

17. confringerque ascellas eius, & non secabit, neque ferro dividet eam, & adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est & oblatio suavisissimi odoris Domino.

CAPUT II.

Ritus oblationis sacrificiorum, similæ oleo conspersæ, thuris, panum, laganorum, atque primitiarum, addito in omnibus sale, nusquam autem fermento, nec melle.

1. Ani-

Cap. 2. Oblatio similæ.

Cap. 3. Fermentum, & mel non offerendum.

LEVITICUS. Cap. 3. Hostia pacificorum.

Eodem ann. 2. ab exitu, mensis 1. die primo.

* Eccl. 7. 34.

* Marc. 9. 48.

Anima cum obtulerit oblationem sacrificij Domino, similia erit eius oblatio, fundetque super eam oleum, & ponet thus,

2. ac deferet ad filios Aaron sacerdotes: quorum unus tollet pugillum plenum similia & olei, ac totum thus, & ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino.

3. * quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron & filiorum eius, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini.

4. Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibanis: de similia, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, & lagana azyma oleo lita.

5. Si oblatio tua fuerit de sartagine, similia conspersæ oleo & absque fermento,

6. divides eam minutatim, & fundes super eam oleum.

7. Sin autem de craticula fuerit sacrificium, aque similia oleo conspergetur:

8. quam offerens Domino, trades manibus sacerdotis.

9. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suavitatis Domino,

10. quidquid autem reliquum est, erit Aaron, & filiorum eius, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini.

11. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.

12. Primitias tantum eorum offeretis ac munera: super altare verò non imponentur in odorem suavitatis.

13. Quidquid obtuleris sacrificij, * sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tuâ offeres sal.

14. Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de speciebus ad hoc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino,

15. fundens suprâ oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est.

16. de qua adolebit sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti, & olei, ac totum thus.

CAPUT III.

Quo pacto offerantur hostiæ pacificorum,

nempè de bobus, ovibus, agnis, & capris. Adipem omnem & sanguinem sibi deposcit Deus, eorumque vetatur esus.

Quod si hostia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem sive feminam, immaculata offeret coram Domino.

2. Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonij, fundentque filij Aaron sacerdotes sanguinem per altaris circuitum.

3. Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino, * adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis est intrinsecus:

4. duos renes cum adipem quo teguntur illa, & reticulum iecoris cum renunculis

5. adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito: in oblationem suavissimi odoris Domino.

6. Si verò de ovibus fuerit eius oblatio & pacificorum hostia, sive masculum obtulerit, sive feminam, immaculata erunt.

7. Si agnum obtulerit coram Domino,

8. ponet manum suam super caput victimæ suæ: quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonij: fundentque filij Aaron sanguinem eius per circuitum altaris.

9. Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino: adipem & caudam totam

10. cum renibus, & pinguedinem quæ operit ventrem atque universa vitalia, & utrumque renunculum cum adipem qui est iuxta illa, reticulumque iecoris cum renunculis.

11. & adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis & oblationis Domini.

12. Si capra fuerit eius oblatio, & obtulerit eam Domino,

13. ponet manum suam super caput eius: immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonij. Et fundent filij Aaron sanguinem eius per altaris circuitum.

14. Tollentque ex ea in pastum ignis dominici, adipem qui operit ventrem, & qui tegit universa vitalia:

15. duos renunculos cum reticulo, quod est super eos iuxta illa, & arynam iecoris cum renunculis:

16. adolebitque ea super altare sacerdos in alimoniam ignis, & suavissimi odoris. Omnis adeps, Domini erit

Eodem ann. 2. ab exitu, mensis 1. die primo.

* Exod. 29. 13.

17. iu-

17. iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem nec adipem omnino comedetis.

CAPUT IV.

Modus offerendi hostias pro peccato sacerdotis, principis, & multitudinis per ignorantiam commisso.

Eodem ann. 2. ab exitu, mensis 1. die primo.

1. **L**ocutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israël: Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, & de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quippiam fecerit:

3. si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino:

4. & adducet illum ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino, ponetque manum super caput eius, & immolabit eum Domino.

5. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonij.

6. Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum Sanctuarij.

7. ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonij, omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi.

8. Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum qui vitalia operit quam omnia quæ intrinsecus sunt:

9. duos renunculos & reticulum quod est super eos iuxta ilia, & adipem iecoris cum renunculis,

10. sicut auferitur de vitulo hostiæ pacificorum: & adolebit ea super altare holocausti.

11. Pellem verò & omnes carnes cum capite & pedibus & intestinis & fimo,

12. & reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent: incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur.

13. Quòd si omnis turba Israël ignoraverit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est,

14. & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium tabernaculi.

15. Et ponent seniores populi manus super caput eius coram Domino. Imolatoque vitulo in conspectu Domini,

16. inferet sacerdos, qui unctus est, de sanguine eius in tabernaculum testimonij, 17. tincto digito aspergens septies contra velum.

18. ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonij: reliquum autem sanguinem fundet iuxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonij.

19. Omnemque eius adipem tollit, & adolebit super altare:

20. sic faciens & de hoc vitulo quo modo fecit & prius: & rogante pro eis sacerdote, propitijs erit eis Domini.

21. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut & priorem vitulum: quia est pro peccato multitudinis.

22. Si peccaverit princeps, & fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur:

23. & postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum.

24. Ponetque manum suam super caput eius: cumque immolaverit eum in loco ubi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est,

25. tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum fundens ad basim eius.

26. Adipem verò adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei.

27. Quòd si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quidquam de his, quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat,

28. & cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam.

29. Ponetque manum super caput hostiæ quæ pro peccato est, & immolabit eam in loco holocausti.

30. Tolleretque sacerdos de sanguine in digito suo: & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim eius.

31. Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino: rogabitque pro eo, & dimittetur ei.

32. Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam;

33. ponet manum super caput eius, & immolabit eam in loco ubi solet cædi holocaustorum hostiæ.

34. Sumetque sacerdos de sanguine eius digito suo, & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim eius.

35. Omnem quoque adipem auferens, sicut auferri solet a deo arietis, qui immolatur pro pacificis: cremabit super altare in incensum Domini: rogabitque pro eo, & pro peccato eius, & dimittetur ei.

CAPUT V.

De hostiis pro peccatis ex silentio veritatis, immunditia, errore, iuramento, sacrorum abusu atque ignorantia.

Eodem an. mense & die.

1. **S**i peccaverit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit quòd aut ipse vidit, aut conscius est: hisi iudicaverit, portabit iniquitatem suam.

2. Anima quæ tetigerit aliquid immundum, sive quòd occisum a bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile: & oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, & deliquit.

3. & si tetigerit quidquam de immunditia hominis iuxta omnem impuritatem, qua polli solet, oblitaque cognoverit postea, subiacebit delicto.

4. Anima, quæ iuraverit, & protulerit labilis suis ut vel male quid faceret, vel bene, & idipsum iuramento & sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum,

5. agat poenitentiam pro peccato,

6. & offerat de gregibus agnam sive capram, orabitque pro ea sacerdos & pro peccato eius:

7. sin autem non potuerit offerre pecus, offerat * duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato, & alterum in holocaustum,

8. dabitque eos sacerdoti: qui primum offerens pro peccato, retorquetur caput eius ad pennulas, ita ut collo hæreat, & non penitus abrumptur.

9. Et asperget de sanguine eius parietem altaris, quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum eius, quia pro peccato est.

10. Alterum verò adolebit in holocaustum, ut fieri solet: rogabitque pro eo

sacerdos & pro peccato eius, & dimittetur ei.

11. Quòd si non quiverit manus eius duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similia partem ephi decimam. Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.

12. tradetque eam sacerdoti: qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare in monumentum eius quò obtulerit,

13. rogans pro illo & expians, reliquam verò partem ipse habebit in munere.

14. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

15. Anima si prævaricans ceremonias, per errorem in his, quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, iuxta pondus Sanctuarij:

16. ipsumque quòd intulit damni restituet, & quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei.

17. Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam,

18. offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: & dimittetur ei.

19. quia per errorem deliquit in Dominum.

CAPUT VI.

Oblatio pro peccato ex certa scientia commissa: leges holocausti, ignis perpetui, & singulorum sacrificiorum & oblationum sacerdotis in die unctiois sue: & in genere de hostia pro peccato: quæ & quando his vesci possint.

1. **L**ocutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Anima quæ peccaverit, & contempto Domino, negaverit proximo suo depositum quòd fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorsit, aut calumniam fecerit,

3. sive rem perditam invenerit, & inficians insuper pelevaverit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines,

Eodem mense & anno M. sc. 2514.

4. convicta delicti,
5. reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & * quintam insuper partem, domino cui damnum intulerat.

6. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatam de grege, & dabit eum sacerdoti, iuxta æstimationem, mensuramque delicti.

7. qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis quæ faciendū peccavit.

8. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

9. Præcipe Aaron & filiis eius: Hæc est lex holocausti: Cremabitur in altari tota nocte usque mane: ignis ex eodem altari erit.

10. vestietur tunica sacerdos & feminalibus lineis: tolletque cineres, quos vorans ignis exussit, & ponens iuxta altare, 11. spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis, efferet eos extra castra, & in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet.

12. Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit adipem pacificorum.

13. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.

14. Hæc est lex sacrificij & libamentorum, quæ offerent filij Aaron coram Domino, & coram altari.

15. Tollit sacerdos pugillum simillam, quæ conspersa est oleo, & totum thus, quod super simillam positum est: adolebitque illud in altari in monumentum odoris suavissimi Domino:

16. reliquam autem partem simillam comedit Aaron cum filiis suis, absque fermento: & comedit in loco Sancto Atrij tabernaculi.

17. Ideo autem non fermentabitur, quia pars eius in Domini offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto.

18. Mares tantum stirpis Aaron comedent illud. Legitimum ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificijs Domini. omnis, qui tetigerit illa, sanctificabitur.

19. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

20. Hæc est oblatio Aaron, & filiorum eius, quam offerre debent Domino in die

unctionis suæ. Decimam partem ephi offerent simillam in sacrificio sempiterno, medium eius manè, & medium eius vespere:

21. quæ in sartagine oleo conspersa friget. Offeret autem eam calidam in odorem suavissimum Domino

22. sacerdos, qui iure patri successerit, & tota cremabitur in altari.

23. Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedit ex eo.

24. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens:

25. Loquere Aaron & filiis eius: Ista est lex hostiæ pro peccato: In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. Sanctum sanctorum est.

26. Sacerdos, qui offert, comedit eam in loco sancto, in atrio tabernaculi.

27. Quidquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto.

28. Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur. quod si vas æneum fuerit, defricabitur, & lavabitur aqua.

29. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus eius, quia Sanctum sanctorum est.

30. Hostia enim quæ caditur pro peccato, * cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad expandiendum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.

CAPUT VII.

Ritus oblationis hostiæ pro delicto, & hostiæ ac victimæ pacificorum: adeps & sanguis in universum comedi prohibentur.

1. Hæc quoque lex hostiæ pro delicto, Sancta sanctorum est:

2. idcirco ubi immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto: sanguis eius per gyrum altaris fundetur.

3. Offerent ex ea caudam & adipem qui operit vitalia:

4. Duos renunculos, & pinguedinem quæ iuxta illa est, reticulumque iccoris eum renunculis.

5. & adolebit ea sacerdos super altare incensum est Domini pro delicto.

6. Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia Sanctum sanctorum est.

7. Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto: utriusque hostiæ lex erit:

Eodem mense & anno M. sc. 2514.

* Sup. 4. 5. Hebr. 13. 11.

erit: ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit.

8. Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem eius.

9. Et omne sacrificium simillam, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel in sartagine præparatur, eius erit sacerdotis a quo offertur:

10. sive oleo conspersa, sive arida fuerint, eundem filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur.

11. Hæc est lex hostiæ pacificorum quæ offertur Domino.

12. Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma uncta oleo, coctamque simillam, & collyridas olei admistione conspersas:

13. panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis:

14. ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino. & erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem.

15. cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane.

16. Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die: sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est:

17. quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumet.

18. si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potius quæcumque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit.

19. Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni: qui fuerit mundus, vescetur ex ea.

20. Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.

21. Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel iumenti, sive omnis rei quæ pollueri potest, & comederit de huiusmodi carnibus, interibit de populis suis.

22. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

23. Loquere filiis Israël: Adipem ovium, & bovis, & capræ non comedetis.

24. Adipem cadaveris morticini, & eius animalis, quod a bestia captum est, habebitis in varios usus.

25. Si quis adipem, qui offerri debet

in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo.

26. Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus.

27. Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis.

28. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

29. Loquere filiis Israël, dicens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, id est, libamenta eius.

30. tenebit manibus adipem hostiæ, & pectusculum: cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet sacerdoti,

31. qui adolebit adipem super altare, pectusculum autem erit Aaron, & filiorum eius.

32. armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias sacerdotis, 33. Qui obtulerit sanguinem & adipem, filiorum Aaron, ipse habebit & armum dextrum in portione sua.

34. Pectusculum enim elevationis, & armus separationis tulli a filiis Israël de hostiis eorum pacificis, & dedit Aaron sacerdoti, & filiis eius lege perpetua, ab omni populo Israël.

35. Hæc est unctio Aaron & filiorum eius in ceremonijs Domini die qua obtulit eos Moyses, ut sacerdotio fungerentur,

36. & quæ præcepit eis dari Dominus a filiis Israël religione perpetua in generationibus suis.

37. Ista est lex holocausti, & sacrificij pro peccato atque delicto, & pro consecratione & pacificorum victimis:

38. quam constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandavit filiis Israël ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai.

CAPUT VIII.

Aaronis in Pontificem, & filiorum eius in Sacerdotes consecratio: ac tabernaculi supellectilisque eius unctio per Moysen.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Tolle * Aaron cum filiis suis, vestes eorum, & unctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum azymis,

3. & congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi.

Eodem ann. 2. ab exitu, mensis 2. initio. Anno M. 2514. Ant. Chr. 1490. * Exod. 29. 35. 6. & 40. 13.

4. Fe-

4. Fecit Moyses ut Dominus imperaverat. Congregataque omni turbâ ante fores tabernaculi,

5. ait: Iste est sermo, quem iussit Dominus fieri.

6. Statimque obtulit Aaron & filios eius. Cumque lavisset eos,

7. vestivit pontificem subuculâ lineâ, accingens eum balteo, & induens eum tunicâ hyacinthinâ, & desuper humerale imposuit,

8. quod astringens cingulo aptavit rationali, in quo erat Doctrina & Veritas.

9. Cidari quoque textit caput: & super eam, contra frontem, posuit laminam auream consecratam in sanctificatione, sicut præceperat ei Dominus.

10. Tulit & unctiois oleum, quo liniuit tabernaculum cum omni supellectili sua.

11. Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud, & omnia vasa eius, labrumque cum basi sua sanctificavit oleo.

12. * Quod fundens super caput Aaron, unxit eum, & consecravit:

13. filios quoque eius oblatos vestivit tunicis lineis, & cinxit balteis, imposuitque mitras, ut iusserat Dominus.

14. Obtulit & vitulum pro peccato, cumque super caput eius posuisset Aaron, & filij eius manus suas,

15. immolavit eum: hauriens sanguinem, & tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum, quo expiato & sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta eius.

16. Adipem verò qui erat super vitalia & reticulum iecoris, duosque renuculos, cum arvinulis suis adolevit super altare:

17. vitulum cum pelle, & carnibus, & fimo, cremans extra castra, sicut præceperat Dominus.

18. Obtulit & arietem in holocaustum: super cuius caput cum imposuissent Aaron & filij eius manus suas,

19. immolavit eum, & fudit sanguinem eius pro circuitu altaris.

20. Ipsumque arietem in frustra concidens, caput eius, & artus, & adipem adolevit igni,

21. lotis prius intestinis & pedibus, totumque simul arietem incendit super altare, eò quòd esset holocaustum suavissimi odoris Domino, sicut præceperat ei.

22. Obtulit & arietem secundum, in consecratione sacerdotum: posueruntque

super caput eius Aaron & filij eius manus suas.

23. quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine eius, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus eius dextræ, similiter & pedis.

24. Obtulit & filios Aaron, cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, & pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum:

25. adipem verò, & caudam, omnemque pinguedinem que operit intestina, reticulumque iecoris, & duos renes cum adipibus suis, & armo dextro separavit.

26. Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento, & collyridam conspersam oleo, laganumque posuit super adipes, & armum dextrum,

27. tradens simul omnia Aaron & filiis eius. Qui postquam levaverunt ea coram Domino,

28. rursus suscepta de manibus eorum, adolevit super altare holocausti, eò quòd consecrationis esset oblatio, in odorem suavitatis, sacrificij Domini.

29. Tulitque pectusculum elevans illud coram Domino, de arietem consecrationis in partem suam, sicut præceperat ei Dominus.

30. Assumensque unguentum, & sanguinem qui erat in altari, aspersit super Aaron & vestimenta eius, & super filios illius ac vestes eorum.

31. Cumque sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis, dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas. panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus, dicens: * Aaron & filij eius comedent eos:

32. quicquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet.

33. De ostio quoque tabernaculi non exhibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ. septem enim diebus finitur consecratio:

34. sicut & impræsentiarum factum est, ut ritus sacrificij compleretur.

35. Die ac nocte manebitis in tabernaculo observantes custodias Domini, ne moriamini: sic enim mihi præceptum est.

36. Feceruntque Aaron & filij eius cuncta quæ locutus est Dominus per manum Moysi.

CA-

CAPUT IX.

Inducitur Aaron consecratus, ac primitiis sacrificiorum pro seipso ac populo Deo redditis, Aaron populo benedixit; gloria Domini apparuit, ignisque holocaustum devoravit.

Eodem ann. 2. ab exitu, mensis 2. die 8. Anno M. 2514. * Exod. 29. 1.

1. **F**ACTO autem octavo die, vocavit Moyses Aaron & filios eius, ac maiores natu Israël, dixitque ad Aaron:

2. * Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum, utrumque immaculatum, & offer illos coram Domino.

3. Et ad filios Israël loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum, atque agnum anniculos, & sine macula in holocaustum,

4. bovem, & arietem pro pacificis: & immolate eos coram Domino, in sacrificio singulorum similim conspersam oleo offerentes. hodie enim Dominus apparebit vobis.

5. Tulerunt ergo cuncta quæ iusserat Moyses ad ostium tabernaculi: ubi cum omnis multitudo astaret,

6. ait Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: facite, & apparebit vobis gloria eius.

7. Et dixit ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo: offer holocaustum, & deprecare pro te & pro populo. cumque mactaveris hostiam populi, ora pro eo, sicut præcepit Dominus.

8. Statimque Aaron accedens ad altare, immolavit vitulum pro peccato suo:

9. cuius sanguinem obtulerunt ei filij sui: in quo tingens digitum, tetigit cornua altaris, & fudit residuum ad basim eius.

10. Adipemque & renuculos, ac reticulum iecoris, quæ sunt pro peccato, adolevit super altare, sicut præceperat Dominus Moysi:

11. carnes verò & pellem eius extra castra combussit igni.

12. Immolavit & holocausti victimam: obtuleruntque ei filij sui sanguinem eius, quem fudit per altaris circuitum.

13. ipsam etiam hostiam in frustra concisam, cum capite & membris singulis obtulerunt. quæ omnia super altare cremavit igui,

14. lotis aquâ prius intestinis, & pedibus.

15. Et pro peccato populi offerens, mactavit hircum: expiatoque altari,

16. fecit holocaustum, 17. addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, & adoleus ea super altare, absque ceremoniis holocausti matutini.

18. Immolavit & bovem, atque arietem, hostias pacificas populi: obtuleruntque ei filij sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum.

19. Adipem autem bovis, & caudam arietis, renuculosque cum adipibus suis, & reticulum iecoris

20. posuerunt super pectora. cumque cremati essent adipes super altare,

21. pectora eorum, & armos dextros separavit Aaron, elevans coram Domino, sicut præceperat Moyses.

22. Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Sique completis hostiis pro peccato, & holocaustis, & pacificis, descendit.

23. Ingressi autem Moyses, & Aaron in tabernaculum testimonij, & deinceps egressi benedixerunt populo. * Apparuitque gloria Domini omni multitudini:

24. & ecce egressus ignis a Domino, devoravit holocaustum, & adipes, qui erant super altare. Quod cum vidissent turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas.

CAPUT X.

Nadab & Abiu thurificantes igne profano, igne cælesti consumpti planguntur à populo, non à sacerdotibus: vini usu & siceræ sacerdotibus interdicto, præcipitur ut residuum oblationis comedant.

1. **A**RREPTISQUE Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis, * posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat.

2. Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, & mortui sunt coram Domino.

3. Dixitque Moyses ad Aaron: Hoc est quod locutus est Dominus: Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron.

4. Vocatis autem Moyses Misæle, & Elisaphan filiis Oziel, patrum Aaron, ait ad eos: Ite & tollite fratres vestros de conspectu Sanctuarij, & asportate extra castra.

5. Confestimque pergentes, tulerunt

* 2. Mac. 2. 10.

Eodem mense & ann. 2514. * Num. 3. 4. 26. 61. 1. Paral. 24. 2.

eos, sicut iacebant, vestitos lineis tunicis, & eiecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum.

6. Locutusque est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios eius: Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, & super omnem coetum oriatur indignatio. Fratres vestri, & omnis domus Israël, plangent incendium quod Dominus suscitavit:

7. vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis: oleum quippe sanctæ unctionis est super vos. Qui fecerunt omnia iuxta præceptum Moysi.

8. Dixit quoque Dominus ad Aaron:

9. Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intratis in tabernaculum testimonij, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras.

10. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum:

11. doceatisque filios Israël omnia legitima mea quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.

12. Locutusque est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios eius, qui erant residui: Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud absque fermento iuxta altare, quia Sanctum sanctorum est.

13. Comeditis autem in loco sancto: quod datum est tibi, & filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi.

14. Pectusculum quoque, quod oblatum est, & armum, qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu, & filij tui, & filia tuæ tecum. tibi enim, ac liberis tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israël:

15. eò quod armum & pectus, & adipem qui cremantur in altari, elevarunt coram Domino, & pertineant ad te, & ad filios tuos lege perpetuâ, sicut præcepit Dominus.

* 2. Mac. 2. 11. 16. * Inter hæc, hircum, qui oblatum fuerat pro peccato, cum quaereret Moyses, exustum reperit: iratusque contra Eleazar & Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait:

17. Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ Sancta sanctorum est, & data vobis ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini,

18. præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta, & comedere debuistis eam in Sanctuario, sicut præceptum est mihi?

19. Respondit Aaron: Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino: mihi autem accidit, quod vides. quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in ceremoniis mente lugubri?

20. Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem.

CAPUT XI.

Animalium mundorum ab immundis separatio, eorumque usus, ut sancti sint filij Israël, sicut & Dominus.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens:

2. Dicitur filiis Israël: * Hæc sunt animalia, quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ:

3. Omne, quod habet divisam ungu- lam, & ruminat in pecoribus, comedetis.

4. Quidquid autem ruminat quidem, & habet ungu- lam, sed non dividit eam, sicut camelus & cetera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis.

5. Choerogryllus qui ruminat, ungu- lamque non dividit, immundus est.

6. Lepus quoque: nam & ipse ruminat, sed ungu- lam non dividit.

7. Et * sus: qui cum ungu- lam dividat, non ruminat.

8. horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis, quia immunda sunt vobis.

9. Hæc sunt, quæ gignuntur in aquis, & vesci licitum est. Omne quod habet pinnulas, & squamas, tam in mari, quam in fluminibus & stagnis, comedetis.

10. Quidquid autem pinnulas & squamas non habet eorum, quæ in aquis moventur, & vivunt, abominabile vobis,

11. execrandumque erit: carnes eorum non comedetis, & morticina vitabitis.

12. Cuncta quæ non habent pinnulas, & squamas in aquis, polluta erunt.

13. Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis: Aquila, & gryphem, & haliaëtum,

14. & milvum ac vulturem iuxta genus suum,

15. & omne corvini generis in similitudinem suam,

Eodem
ann. M.

2514.
Ant. Chr.

1490. Ab
exitu 2.

mense 2.
Deut. 14.

3.

* 2. Mac.
6. 18.

16. struthionem, & noctuam, & larum, & accipitrem iuxta genus suum:

17. bubonem, & mergulum, & ibin, & cygnum, & onocrotalum, & porphyri- onem,

19. herodionem & charadri- onem iuxta genus suum, upupam quoque, & vesper- tilionem.

20. Omne de volucibus quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis.

21. Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit super terram,

22. comedere debetis, ut est bruchus in genere suo, & attachus atque ophiomachus, ac locusta, singula iuxta genus suum.

23. Quidquid autem ex volucibus quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis:

24. & quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus usque ad vesperum:

25. & si necesse fuerit ut portet quippiam horum mortuum, lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad occasum solis.

26. Omne animal quod habet quidem ungu- lam, sed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit: & qui tetigerit illud, contaminabitur.

27. Quod ambulat super manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit morticina eorum, polluetur usque ad vesperum.

28. Et qui portaverit huiuscemodi cadavera, lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum: quia omnia hæc immunda sunt vobis.

29. Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his, quæ moventur in terra, mustela & mus & crocodilus, singula iuxta genus suum,

30. mygale, & chamaeleon, & stellio, & lacerta, & talpa:

31. omnia hæc immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperum:

32. & super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur tam vas ligneum & vestimentum, quam pelles & cilicia: & in quocumque fit opus, tingentur aquâ, & polluta erunt usque ad vesperum, & sic postea mundabuntur.

33. Vas autem fictile, in quod horum

quidquam intrò ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum est.

34. Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit: & omne liquens quod bibit de universo vase, immundum erit.

35. Et quidquid de morticinis huiuscemodi ceciderit super illud, immundum erit: sive clibani, sive chytropodes, destruentur, & immundi erunt.

36. Fontes verò & cisternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur.

37. Si ceciderit super sementem, non polluet eam.

38. Si autem quispiam aquâ sementem perfuderit, & postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur.

39. Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadaver eius tetigerit, immundus erit usque ad vesperum:

40. & qui comederit ex eo quippiam, sive portaverit; lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum.

41. Omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum.

42. Quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, sive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est.

43. Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis.

44. Ego enim sum Dominus Deus vester: * sancti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili quod movetur super terram.

45. Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de Terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum.

46. Ista est lex animantium ac volu- crum, & omnis animæ viventis, quæ movetur in aqua, & reptat in terra,

47. ut differentias noveritis mundi, & immundi, & sciatis quid comedere & quid respicere debeatis.

CAPUT XII.

Puerperæ immunditia, & mundatio cum oblatione.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Lóquere filiis Israël, & dices ad

Eodem
an. 2514.

& mense.

22. **Luc. 2.** eos: * Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ.
21. **Luc. 2.** 3. * & die octavo circumcidetur infans: **Joann. 7.** 22. 4. ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ.
5. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.
6. Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad hostium tabernaculi testimonij, & tradet sacerdoti.
7. qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur a profusio sanguinis sui. ista est lex parientis masculinum aut feminam.
8. Quod si non invenerit manus eius, nec poterit offerre agnum, sumet * duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato. orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur.

* Sup. 5. 7.
* 11.
Luc. 2. 24.

CAPUT XIII.

Lex, & cognitio lepræ Sacerdotibus commissa in homine, & vestimento, quæ præcipiantur leproso.

- Eodem mense & an. 2514. **1.** **L**ocutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens:
2. Homo, in cuius cute & carne ortus fuerit diversus color sive pustula, aut quasi lucens quippiam, id est plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum eius.
3. Qui cum viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute & carne reliquã; plaga lepræ est, & ad arbitrium eius separabitur.
4. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliquã, & pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus,
5. & considerabit die septimo: & siquidem lepra ultra non creverit, nec transferit in cute priores terminos, rursum recludet eum septem diebus aliis.

6. Et die septimo contemplabitur: si obscurior fuerit lepra, & non creverit in cute, mundabit eum, quia scabies est: lavabitque homo vestimenta sua, & mundus erit.

7. Quod si postquam a sacerdote visus est, & redditus munditiæ, iterum lepra creverit; adducetur ad eum,

8. & immunditiæ condemnabitur.

9. Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem,

10. & videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, & capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit:

11. lepra vetustissima iudicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, & non recludet, quia perspicua immunditiæ est.

12. Sin autem effluerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem cutem a capite usque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit,

13. considerabit eum sacerdos, & ternerit lepra mundissima iudicabit: eò quod omnis in candorem versa sit, & idcirco homo mundus erit.

14. Quando verò caro vivens in eo apparuerit,

15. tunc sacerdotis iudicio polluetur, & inter immundos reputabitur. caro enim viva si lepra aspergitur, immunda est.

16. Quod si rursum versa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit,

17. considerabit eum sacerdos, & mundum esse decernet.

18. Caro autem & cutis in qua ulcus natum est & sanatum,

19. & in loco ulceris cicatrix alba apparuerit, sive subrufa, adducetur homo ad sacerdotem:

20. qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliquã, & pilos versos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta est in ulcere.

21. Quod si pilus coloris est pristini, & cicatrix subobscura, & vicina carne non est humilior, recludet eum septem diebus.

22. & si quidem creverit, adiudicabit eum lepra.

23. sin autem steterit in loco suo, ulceris est cicatrix, & homo mundus erit.

24. Caro autem & cutis, quam ignis exusserit, & sanata albam sive rufam habuerit cicatricem,

25. considerabit eam sacerdos, & ecce versa est in alborem, & locus eius reliquã

quã cute est humilior: contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est.

26. Quod si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliquã, & ipsa lepræ species fuerit subobscura, recludet eum septem diebus.

27. & die septimo contemplabitur: si creverit in cute lepra, contaminabit eum.

28. sin autem in loco suo candor steterit non satis clarus, plaga combustionis est, & idcirco mundabitur, quia cicatrix est combustura.

29. Vir, sive mulier, in cuius capite vel barba germinaverit lepra, videbit eos sacerdos.

30. & siquidem humilior fuerit locus carne reliquã, & capillus flavus, solitiorque subtilior; contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ est.

31. Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum: recludet eum septem diebus,

32. & die septimo intuebitur. Si non creverit macula, & capillus sui coloris est, & locus plage carni reliquæ æqualis

33. radetur homo absque loco maculæ, & includetur septem diebus aliis.

34. Si die septimo visa fuerit stetitque plaga in loco suo, nec humilior carne reliquã, mundabit eum, lotisque vestibus suis mundus erit.

35. Sin autem post emundationem rursum creverit macula in cute,

36. non queret amplius utrum capillus in flavum colorem sit immutatus, quia aperte immundus est.

37. Porrò si steterit macula, & capilli nigri fuerint, noverit hominem sanatum esse, & confidenter eum pronunciet mundum.

38. Vir, sive mulier, in cuius cute candor apparuerit,

39. intuebitur eos sacerdos: si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, & hominem mundum.

40. Vir, de cuius capite capilli fluunt, calvus & mundus est.

41. & si a fronte ceciderint pili, recalvaster & mundus est.

42. Sin autem in calvitio sive in recalvatione albus vel rufus color fuerit exortus,

43. & hoc sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubiè lepræ; quæ orta est in calvitio.

44. Quicumque ergo maculatus fuerit

lepræ, & separatus est ad arbitrium sacerdotis,

45. habebit vestimenta dissita, caput nudum, os vestis contextum, contaminatum ac sordidum se clamabit.

46. Omni tempore quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra.

47. Vestis lanea sive linea, quæ lepram habuerit

48. in stamine atque subtegmine, aut certe pellis, vel quidquid ex pelle contextum est,

49. si alba vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, ostendeturque sacerdoti.

50. qui consideratam recludet septem diebus:

51. & die septimo rursum aspiciens si deprehenderit crevisse, lepra perseverans est: pollutum iudicabit vestimentum, & omne in quo fuerit inventa:

52. & idcirco comburetur flammis.

53. Quod si eam viderit non crevisse,

54. præcipiet, & lavabunt eam, in quo lepra est, recludetque illud septem diebus aliis.

55. Et cum viderit faciem quidem pristinam non reversam, nec tamen crevisse lepram, immundum iudicabit, & igne comburet, eò quod infusa sit in superficie vestimenti vel per totum, lepra.

56. Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, postquam vester sit lota, arripunt eum, & a solido dividet.

57. Quod si ultra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis & vaga: debet igne comburi.

58. si cessaverit, lavabit aqua eam, quæ pura sunt, secundo, & munda erunt.

59. Ista est lex lepræ vestimenti lanei & linei, staminis, atque subtegminis, omnisque supelletilis pellicæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

CAPUT XIV.

Lepræ expandæ sacrificia pro homine, domo, ac vestimento, lepra iam curata: ratio lepræ domorum investigandæ, curandæ, purificandæ.

1. **L**ocutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Hic est ritus leprosi, quando mundandus est: * Adducetur ad sacerdotem:

3. qui egressus de castris, cum invenerit lepram esse mundatam, inquit

Eodem mense & an. 2514.

* Matth. 8.

4. præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos passeris vivos pro se, quibus vesci licitum est, & lignum cédrinum, vermiculumque & hyssopum.
5. & unum ex passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viventes:
6. alium autem vivum cum ligno cédriño, & cocco & hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati,
7. quo asperget illum, qui mundandus est, septies, ut iure purgetur: & dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet.
8. Cùmque laverit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lavabitur aqua: purificatusque ingreditur castra, ita dumtaxat ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus,
9. & die septimo radet capillos capitis, barbamque & supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus & corpore,
10. die octavo assumet duos agnos immaculatos, & ovem anniculam absque macula, & tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium.
11. Cùmque sacerdos purificans hominem, stauerit eum, & hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonij,
12. tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleique sextarium, & oblati ante Dominum omnibus,
13. immolabit agnum, ubi solet immolari hostia pro peccato, & holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia: Sancta Sanctorum est.
14. Assumensque sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & super pollices manûs dextræ & pedis:
15. & de olei sextario mittet in manum suam sinistram,
16. tingetque digitum dextrum in eo, & asperget coram Domino septies.
17. quod autem reliquum est olei in læva manu, fundet super extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & super pollices manûs ac pedis dextri, & super sanguinem qui effusus est pro delicto,
18. & super caput eius.
19. Rogabitque pro eo coram Domino, & faciet sacrificium pro peccato, tunc immolabit holocaustum,
20. & ponet illud in altari cum liba-

mentis suis, & homo ritè mundabitur.

21. Quod si pauper est, & non potest manus eius invenire quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnum ad oblationem, ut roget pro eo sacerdos, decimanque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, & olei sextarium,

22. & duosque turtures sive duos pullos columbæ, quorum unus sit pro peccato, & alter in holocaustum:

23. offeretque ea die octavo purificationis suæ sacerdoti, ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino.

24. qui suscipiens agnum pro delicto & sextarium olei, lavabit simul.

25. immolatoque agno, de sanguine eius ponet super extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, & super pollices manûs eius ac pedis dextri:

26. olei verò partem mittet in manum suam sinistram,

27. in quo tingens digitum dextræ manûs asperget septies coram Domino:

28. tangetque extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur, & pollices manûs ac pedis dextri in loco sanguinis qui effusus est pro delicto:

29. reliquam autem partem olei, quæ est in sinistra manu, mittet super caput purificati, ut placet pro eo Domino:

30. & turturem sive pullum columbæ offeret,

31. unum pro delicto, & alterum in holocaustum cum libamentis suis.

32. Hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui.

33. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

34. Cùm ingressi fueritis Terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga lepræ in edibus,

35. ibit cuius est domus, nuncios sacerdoti, & dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea.

36. At ille præcipiet ut efferant universa de domo, priusquam ingrediatur eam, & videat utrum leprosa sit, ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt. Intrabitque postea ut consideret lepram domûs:

37. & cùm viderit in parietibus illius quasi valliculas pallore sive rubore deformes, & humiliores superficie reliquâ,

38. egredietur ostium domûs, & statim claudet illam septem diebus.

39. Reversusque die septimo, conside-

* Sup. 5. 7.
& v. 11.
& cap. 12.
8.
Luc. 2. 24.

ra-

CAPUT XV.

Seminifluis viri, concubantium, menstruas mulieris & hemorrhoidis expiatio ac purificatio.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

2. Loquimini filiis Israël, & dicite eis: Vir, qui patitur fluxum seminis, immundus erit.

3. Et tunc iudicabitur huic vitio subiicere, cùm per singula momenta adhererit carni eius, atque concreverit foedus humor.

4. Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, & ubicunque sederit.

5. Si quis hominum tetigerit lectum eius, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aquâ, immundus erit usque ad vesperum.

6. Si sederit ubi ille sederat, & ipse lavabit vestimenta sua: & lotus aquâ, immundus erit usque ad vesperum.

7. Qui tetigerit carnem eius, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aquâ, immundus erit usque ad vesperum.

8. Si salivam huiusmodi homo eiecerit super eum qui mundus est, lavabit vestimenta sua: & lotus aquâ, immundus erit usque ad vesperum.

9. Sagma, super quo sederit, immundum erit.

10. & quidquid sub eo fuerit, qui fluxum seminis patitur, pollutum erit usque ad vesperum. Qui portaverit horum aliquid, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aquâ, immundus erit usque ad vesperum.

11. Omnis, quem tetigerit qui talis est, non lotis ante manibus, lavabit vestimenta sua: & lotus aquâ, immundus erit usque ad vesperum.

12. Vas fictile quod tetigerit, confringetur: vas autem ligneum lavabitur aquâ.

13. Si sanatus fuerit qui huiusmodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, & lotis vestibus & toto corpore in aquis viventibus, erit mundus.

14. Die autem octavo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conspectum Domini ad ostium tabernaculi testimonij, dabitque eos sacerdoti.

15. qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum: rogabitque pro eo coram Domino, ut emundetur a fluxu seminis sui.

16. Vir de quo egreditur semen coitus,

rabat eam: si invenerit crevisse lepram,

40. iubebit erui lapides in quibus lepra est, & proijci eos extra civitatem in locum immundum:

41. domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, & spargi pulverem rasuræ extra urbem in locum immundum,

42. lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum.

43. Sin autem postquam eruti sunt lapides, & pulvis erasus, & alia terra lita,

44. ingressus sacerdos viderit reversam lepram, & parietes respersos maculis, lepra est perseverans, & immunda domus:

45. quam statim destruent, & lapides eius ac ligna, atque universum pulverem projicient extra oppidum in locum immundum.

46. Qui intraverit domum quando clausa est, immundus erit usque ad vesperum:

47. & qui dormierit in ea, & comederit quippiam, lavabit vestimenta sua.

48. Quod si introiens sacerdos viderit lepram non crevisse in domo, postquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita sanitate:

49. & in purificationem eius sumet duos passeris, lignumque cédrinum, & vermiculum atque hyssopum:

50. & immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas,

51. tollet lignum cédrinum, & hyssopum, & coccum, & passerem vivum, & tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, & asperget domum septies,

52. purificabitque eam tam in sanguine passeris quam in aquis viventibus, & in passere vivo, lignoque cédriño & hyssopo atque vermiculo.

53. Cùmque dimiserit passerem avolare in agrum liberè, orabit pro domo, & iure mundabitur.

54. Ista est lex omnis lepræ & percussuræ,

55. lepræ vestium & domorum,

56. cicatricis & erumpentium papularum, lucentis maculæ, & in varias species, coloribus immutatis,

57. ut possit sciri quo tempore mundum quid, vel immundum sit.

Eodem mense an. 2514.

la-

lavabit aqua omne corpus suum: & immundus erit usque ad vesperum.

17. Vestem & pellem, quam habuerit, lavabit aqua, & immunda erit usque ad vesperum.

18. Mulier, cum qua coeſerit, lavabitur aqua, & immunda erit usque ad vesperum.

19. Mulier, quae redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.

20. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperum:

21. & in quo dormierit vel sederit diebus separationis suae, pollutur.

22. Qui tetigerit lectum eius, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

23. Omne vas, super quo illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, pollutus erit usque ad vesperum.

24. Si coeſerit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus: & omne stratum, in quo dormierit, pollutur.

25. Mulier, quae patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali, vel quae post menstruum sanguinem fluere non cessat, quamdiu subiacet huic passioni, immunda erit quasi sit in tempore menstruo.

26. omne stratum, in quo dormierit, & vas in quo sederit, pollutum erit.

27. quicumque tetigerit ea, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

28. Si steterit sanguis, & fluere cesserit, numerabit septem dies purificationis suae:

29. & die octavo offeret pro se sacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum ad ostium tabernaculi testimonij:

30. qui unum faciet pro peccato, & alterum in holocaustum, rogabitque pro ea coram Domino, & pro fluxu immunditiae eius.

31. Docebitis ergo filios Israel ut caveant immunditiam, & non moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum quod est inter eos.

32. Ista est lex eius, qui patitur fluxum seminis, & qui pollutur coitu,

33. & quae menstruis temporibus separatur, vel quae iugi fluit sanguine, & hominis, qui dormierit cum ea.

34. Et si quis de his fuerit, qui non fuerit lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

35. Et si quis de his fuerit, qui non fuerit lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

CAPUT XVI.

Quando & quomodo sacerdos ingredi debeat sanctuarium, ipsamque expiare una cum tabernaculo & altari, emissarium caprum abigere, & festum expiationum celebrare.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron; quando * offerentes signem alienum interfecit sunt:

2. & praecepit ei, dicens: Loquere ad Aatron fratrem tuum, * ne omni tempore ingrediat in Sanctuarium; quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum).

3. nisi haec ante fecerit: Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum;

4. Tunica lineae vestietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona lineae, cidarium lineam imponet capiti: haec enim vestimenta sunt sancta: quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur.

5. Suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & unum arietem in holocaustum.

6. Cumque obtulerit vitulum, & oraverit pro se & pro domo sua,

7. duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonij:

8. mittensque super utrumque sortem, unam Domino, & alteram capro emissario;

9. cuius exierit sors Domino, offeret illum pro peccato:

10. cuius autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, & emittat eum in solitudinem.

11. His rite celebratis, offeret vitulum & rogans pro se & pro domo sua, immolabit eum:

12. assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manna compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in Sancta;

13. ut positus super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium, & non moriatur.

14. Tollet quoque de sanguine vituli, & asperget digito septies contra propitiatorium ad orientem.

15. Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem eius intra velum, sicut praeceptum est de sanguine vituli, ut aspergat e regione oraculi,

16. &

17. & asperget eum super propitiatorium ad orientem.

Ann. M.

2514.

Ant. Chr.

1490.

Ab exitu

ann. 2, circa

diem 10. mensis 9.

* Sup. 10.

1.

* Exod. 30.

10.

* Heb. 9. 7.

16. & expiet Sanctuarium ab immundis filiorum Israel, & a praevagationibus eorum, cunctisque peccatis. Iuxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonij, quod fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum.

* Luc. 1. 10.

17. * Nullus hominum sit in tabernaculo quando pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro se & pro domo sua, & pro universo coetu Israel donec egrediatur.

18. Cum autem exierit ad altare quod coram Domino est, oret pro se, & sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua eius per gyrum:

19. aspergensque digito septies, expiet, & sanctificet illud ab immundis filiorum Israel.

20. Postquam emundaverit Sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viventem:

21. & posita utraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta atque peccata eorum: quae imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum, in desertum.

22. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto,

23. revertetur Aaron in tabernaculum testimonij, & depositis vestibus, quibus prius indutus erat cum intraret Sanctuarium, relictiisque ibi,

24. lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestibus suis. Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum ac plebis, rogabit tam pro se quam pro populo:

25. & adipem, qui oblatum est pro peccatis, adolebit super altare.

26. ille vero, qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua & corpus aqua, & sic ingredietur in castra.

27. Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in Sanctuarium ut expiatio completeretur, asportabunt foras castra, & comburent igni tam pelles quam carnes eorum ac fimum:

* Heb. 13.

11.

28. & quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua, & carnem aqua, & sic ingredietur in castra.

29. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum: * Mense septimo, decima die mensis affligetis animas vestras, nullumque opus facietis, sive indigena, sive

* Infr. 23.

27. 28.

advena qui peregrinatur inter vos.

30. In hac die expiatio erit vestri, atque mandatio ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini.

31. sabbatum enim requietionis est, & affligetis animas vestras religione perpetua.

32. Expiabit autem sacerdos, qui unctus fuerit, & cuius manus initiate sunt ut sacerdotio fungatur pro patre suo: indueturque stola lineae & vestibus sanctis,

33. & expiabit Sanctuarium & tabernaculum testimonij atque altare, sacerdotes quoque & universum populum.

34. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur sicut praeceperat Dominus Moysi.

CAPUT XVII.

Iubentur Hebraei soli Deo sacrificare, non demoni, nec usquam nisi ad ostium tabernaculi: atque a sanguinis & morticini esu abstinendum.

1. ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

Eodem anno & mensis.

2. Loquere Aaron & filiis eius, & cunctis filiis Israel, dicens ad eos: Iste est sermo, quem mandavit Dominus, dicens:

3. Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem aut ovem, sive capram in castris vel extra castra,

4. & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit: quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui.

5. Ideo sacerdoti offerre debent filij Israel hostias suas, quas occident in agro, ut sanctificentur Domino ante ostium tabernaculi testimonij, & immolent eas hostias pacificas Domino.

6. Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi testimonij, & adolebit adipem in odorem suavitatis Domino:

7. & nequaquam ultra immolabunt hostias suas demonibus, cum quibus fornicati sunt. Legitimum sempiternum erit illis & posteris eorum.

8. Et ad ipsos dices: Homo de domo Israel, & de advenis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum sive victimam,

9. & ad ostium tabernaculi testimonij non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo.

10. Ho-

10. Homo quilibet de domo Israël, & de advenis qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo.

11. quia anima carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit.

12. Idcirco dixi filiis Israël: Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex advenis, qui peregrinantur apud vos.

13. Homo quicumque de filiis Israël, & de advenis, qui peregrinantur apud vos, si venatione, atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem eius, & operat illum terra.

* Gen. 9. 4. Sup. 7. 26.

14. * Anima enim omnis carnis in sanguine est: unde dixi filiis Israël: Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: & quicumque comederit illum, interibit.

15. Anima, quæ comederit morticinum, vel captum a bestia, tam de indigenis, quam de advenis, lavabit vestimenta sua & semetipsum aqua, & contaminatus erit usque ad vesperum: & hoc ordine mundus fiet.

16. Quod si non laverit vestimenta sua & corpus, portabit iniquitatem suam.

CAPUT XVIII.

Gradus coniugij illiciti, ad Gentium & Chanaanæorum opera fugienda in varia carnali turpitudine.

Eodem anno ab exitu 2. mense 2. Ann. M. 2514.

1. **L**ocutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Ego Dominus Deus vester:

3. iuxta consuetudinem Terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis: & iuxta morem Regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non ageris, nec in legitimis eorum ambulabitis.

4. Facietis iudicia mea, & præcepta mea servabitis, & ambulabitis in eis, ego Dominus Deus vester.

* Ezech. 20. 11. Rom. 10. 5. Gal. 3. 12.

5. * Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Ego Dominus.

6. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem eius, ego Dominus.

7. Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non discooperies: ma-

ter tua est. non revelabis turpitudinem eius.

8. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpitudinem enim patris tui est.

9. Turpitudinem sororis tuæ ex matre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis.

10. Turpitudinem filiæ filij tui vel neptis ex filia non revelabis: quia turpitudinem tua est.

11. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non revelabis.

12. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies: quia caro est patris tui.

13. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro sit matris tuæ.

14. Turpitudinem patris tui non revelabis, nec accedes ad uxorem eius, quæ tibi affinitate coniungitur.

15. Turpitudinem nuris tuæ non revelabis, quia uxor filij tui est, nec discooperies ignominiam eius.

16. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis: quia turpitudinem fratris tui est.

17. Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ eius non revelabis. Filiam filij eius, & filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam eius: quia caro illius sunt, & talis coïtus incestus est.

18. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem eius adhuc illa vivente.

19. Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes, nec revelabis fæditatem eius.

20. Cum uxore proximi tui non coïbis, nec seminis commistione maculaberis.

21. * De semine tuo non dabis ut secreteretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui, ego Dominus. * Infr. 20. 2.

22. Cum masculo non commiscearis coïtu femineo, quia abominatio est.

23. Cum omni pecore non coïbis, nec maculaberis cum eo. * Mulier non succumbet iumento, nec miscbitur ei: quia scelus est. * Infr. 20. 16.

24. Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego eiciam ante conspectum vestrum,

25. & quibus polluta est terra: cuius ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos.

26. Custodite legitima mea atque iudicia, & non facietis ex omnibus abominacionibus istis, tam indigena quam

co-

colonus qui peregrinantur apud vos.

27. Omnes enim execrationes istas fecerunt & accolere terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam.

28. Cavete ergo, ne & vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomit gentem, quæ fuit ante vos.

29. Omnis anima, quæ fecerit de abominacionibus his quippiam, peribit de medio populi sui.

30. Custodite mandata mea. Nolite facere, quæ fecerunt hi qui fuerunt ante vos, & ne polluamini in eis, ego Dominus Deus vester.

CAPUT XIX.

Varia præcepta moralia & ceremonialia ante recensita rursum inculcantur, additis de novo aliis.

Eodem anno & mense.

FER. 4. POST DOMINICAM PASSION. EPIST.

* Supr. 11. 44. 1. Pet. 1. 16.

1. **L**ocutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere ad omnem cœtum filiorum Israël, & dices ad eos: * Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.

3. Unusquisque patrem suum, & matrem suam timeat. Sabbata mea custodite, ego Dominus Deus vester.

4. Nolite converti ad idola, nec Deos confilates faciatis vobis, ego Dominus Deus vester.

5. Si immolaveritis hostiam pacificorum Domino, ut sit placibilis,

6. eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero: quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis.

7. si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, & impietatis reus:

8. portabitque iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit, & peribit anima illa de populo suo.

* Infr. 23. 22.

9. * Cumque messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficem terræ: nec remanentes spicas colliges.

10. Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes, ego Dominus Deus vester.

11. Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.

* Exod. 20. 7.

12. * Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, ego Dominus.

13. * Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. * Non morabitur opus mercenarij tui apud te usque mane. * Eccli. 10. 6. * Deut. 24. 14. Tob. 4. 15.

14. Non maledices surdo, nec coram caeco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus.

15. Non facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis. * Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iuste iudica proximo tuo. * Deut. 1. 17. & 16. 19. Prov. 24. 23. Eccli. 42. 1. Iac. 2. 2. * 1. Ioan. 2. 11. & 3. 14. * Eccli. 19. 13. Matth. 18. 15. Luc. 17. 3. * Matth. 5. 43. & 22. 39. Luc. 6. 27. Rom. 13. 9.

16. Non eris criminator, nec surrogo in populo. Non stabis contra sanguinem proximi tui, ego Dominus.

17. * Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed * publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.

18. Non quaeras ultionem, nec memoreris iniuriæ civium tuorum. * Diliges amicum tuum sicut teipsum, ego Dominus.

19. Leges meas custodite. Iumentum tuum non facies coïre cum alterius generis animalibus. Agrum tuum non seres diverso semine. Veste, quæ ex duobus texta est, non indueris.

20. Homo si dormierit cum muliere coïtu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis, & tamen pretio non redempta, nec libertate donata: vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera.

21. pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonij arietem:

22. orabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius coram Domino, & reprobabitur ei, dimitteturque peccatum.

23. Quando ingressi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.

24. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino.

25. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma, quæ profuerunt, ego Dominus Deus vester.

26. Non comedetis cum sanguine. Non augurabimini, nec observabitis somnia.

27. Neque in rotundum attondebitis comam: nec radetis barbam.

28. Et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas, aut stigmata faciatis vobis, ego Dominus.

29. Ne prostituas filiam tuam, ne contaminet terra, & impleatur piaculo.

30. Sabbata mea custodite, & Sanctuarium

rium meum metuite. ego Dominus.
 31. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. ego Dominus Deus vester.
 32. Coram cano capite consurge, & honora personam senis: & time Dominum Deum tuum. ego sum Dominus.
 * Exod. 22. 33. * Si habitaverit advena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobreis ei:
 34. sed sit inter vos quasi indigena: & diligetis eum quasi vosmetipsos: fuistis enim & vos advena in Terra Ægypti. ego Dominus Deus vester.
 35. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura.
 36. Statéra iusta, & æqua sint pondera, iustus modus, æquusque sextarius. ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de Terra Ægypti.
 37. Custodite omnia præcepta mea, & universa iudicia, & facite ea. ego Dominus.

CAPUT XX.

Morte plecendi sunt qui de semine suo Moloch offerunt, qui magos aut ariolos consulunt, qui parentibus maledicunt, qui varios exercent coitus illicitos.

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
 2. Hæc loqueris filiis Israël: Homo de filiis Israël, & de advenis, qui habitant in Israël, * si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur: populus terræ lapidabit eum.
 3. Et ego ponam faciem meam contra illum: succidamque eum de medio populi sui, eò quòd dederit de semine suo Moloch, & contaminaverit Sanctuarium meum, ac polluerit nomen sanctum meum.
 4. Quòd si negligens populus terræ, & quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere:
 5. ponam faciem meam super hominem illum, & super cognitionem eius, succidamque & ipsum, & omnes qui consenserunt ei ut fornicaretur cum Moloch, de medio populi sui.
 6. Anima, quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.
 * 1. Petr. 1. 7. * Sanctificamini & estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester.
 8. Custodite præcepta mea, & facite

Eodem mense & an. 2514.

* Supr. 18. 21.

* 1. Petr. 1. 16

ea: ego Dominus qui sanctifico vos.
 9. * Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: patri, matrique maledixit, sanguis eius sit super eum.
 10. * Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum coniuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.
 11. Qui dormierit cum noverca sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo: sanguis eorum sit super eos.
 12. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt: sanguis eorum sit super eos.
 13. Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur: sit sanguis eorum super eos.
 14. Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem eius, scelus operatus est: vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.
 15. Qui cum iumento & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite.
 16. * Mulier, quæ succubuerit cuilibet iumento, simul interficietur cum eo: sanguis eorum sit super eos.
 17. * Qui accepit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris sue, & viderit turpitudinem eius, illaque conspexerit fratris ignominiam: nefariam rem operati sunt: occidentur in conspectu populi sui, eò quòd turpitudinem suam mutuo revelaverint, & portabunt iniquitatem suam.
 18. Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem eius, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui: interficiuntur ambo de medio populi sui.
 19. Turpitudinem materteræ & amitæ tuæ non discooperies: qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudavit, portabunt ambo iniquitatem suam.
 20. Qui coierit cum uxore patris, vel avunculi sui, & revelaverit ignominiam cognitionis suæ, portabunt ambo peccatum suum: absque liberis morientur.
 21. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit: absque liberis erunt.
 22. Custodite leges meas, atque iudicia, & facite ea: ne & vos evomat terra quam intraturi estis, & habitaturi.
 23. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos.

* Exod. 21. 17. Prov. 20. 20. Matth. 15. 4. Marc. 7. 10. 22. Deut. 22. 22. Iaan. 8. 5.

* Supr. 18. 23.

* Supr. 18. 6.

Om.

Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus sum eas.
 24. Vobis autem loquor: Possidete terram eorum, quam dabo vobis in hereditatem, terram fluentem lacte, & melle. ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a ceteris populis.
 25. Separate ergo & vos iumentum mundum ab immundo, & avem mundam ab immunda: ne polluat animas vestras in pecore, & avibus, & cunctis, quæ moventur in terra, & quæ vobis ostendi esse polluta.
 * 1. Petr. 1. 16. 26. * Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separavi vos a ceteris populis, ut essetis mei.
 * Deut. 18. 11. 1. Reg. 28. 7. 27. * Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur. lapidibus obruent eos: sanguis eorum sit super illos.

CAPUT XXI.

Quibus funeribus interesse possint sacerdotes, & quales ducere uxores; quive inepti sint ad sacerdotium: & de filia sacerdotis fornicante.

Eodem ann. 2. ab exitu, mense 2. Anno M. 2514. Ant. Chr. 1490.

Dixit quoque Dominus ad Moysen: Loquere ad sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum,
 2. nisi tantum in consanguineis, ac propinquis, id est, super patre, & matre, & filio, & filia, fratre quoque,
 3. & sorore virgine, quæ non est nupta viro:
 4. sed nec in principe populi sui contaminabitur.
 * Sup. 19. 27. Ezech. 44. 20. 5. * Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras.
 6. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius: incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & idè sancti erunt.
 * Sap. 19. 29. 7. * Scortum, & vile prostibulum non ducunt uxorem, nec eam, quæ repudiata est a marito: quia consecrati sunt Deo suo,
 8. & panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti, quia & ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos.
 9. Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violaverit nomen patris sui, flammis exuret.
 10. Pontifex, idest, sacerdos maximus inter fratres suos, super cuius caput fu-

sum est unctiois oleum, & cuius manus in sacerdotio consecratae sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet:
 11. & ad omnem mortuum non ingredietur omnino. super patre quoque suo, & matre non contaminabitur.
 12. Nec egredietur de sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctiois Dei sui super eum est. ego Dominus.
 13. * Virginem ducet uxorem:
 14. Vidua autem, & repudiata, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo:
 15. ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ: quia ego Dominus, qui sanctifico eum.
 16. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
 17. Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo,
 18. nec accedet ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso,
 19. si fracto pede, si manu,
 20. si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus.
 21. Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo:
 22. vescetur tamen panibus, qui offeruntur in Sanctuario,
 23. ita dumtaxat, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet Sanctuarium meum. ego Dominus, qui sanctifico eos.
 24. Locutus est ergo Moyses ad Aaron, & ad filios eius, & ad omnem Israël cuncta quæ fuerant sibi imperata.

* Ezech. 44. 22.

CAPUT XXII.

Ab esu sacrificatorum, seu victimarum alienigenæ, & immundi abstinere debent; describuntur maculae seu vitia, quibus victimæ cavere debeant, & quæ debeant offerri.

Locutus quoque est Dominus ad Moysen, dicens:
 2. Loquere ad Aaron, & ad filios eius, ut caveant ab his, quæ consecratae sunt fi-

Eodem mense & anno.

K lio-